

versis omnium eorundem bonorum pertinenciis, reverendo in Christo patri domino Philippo^a et ecclesie Eystetensi per serenissimum dominum Heinricum Romanorum imperatorem, dominum et genitorem nostrum karissimum, ante susceptionem imperialis dyadematis iamdudum factis, presentibus consentimus et, quantum nostra^b interest aut interesse poterit, approbamus. In cuius testimonium presentes exinde confectas regnorum nostrorum sigillis fecimus communiri.

Datum in Nüremberg^c VIII. Kalen. Febr. anno domini millesimo CCC^{mo} XIII^o, regnorum vero nostrorum anno secundo.

10b.

1314 Sept. 11 Bacharach¹.

Nos Baldewinus dei gracia sancte Treverensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius, notum esse volumus presencium inspectoribus universis, quod cum intellexerimus, quod inclite recordacionis quondam dictus^d Henricus Romanorum imperator, germanus noster karissimus, oppida, villas et bona subscripta, videlicet Herriden, Arenbûr, Gredingen, Celle et advocaciam super monasterio in Plancsteten, que iure proprietatis et dominii venerabili in Christo domino Phylippo episcopo et ecclesie Eystetensi pertinuerunt, ut dicitur, ab antiquo, licet ipsa ecclesia ab ipsorum bonorum possessione per aliqua temporum spacia quacunque occasione eiecta fuerit et exclusa, omnia bona huiusmodi, postquam ad potestatem pervenerunt ipsius, ob beate Marie virginis ipsius ecclesie patrone reverenciam ac ob laudabilia, que idem episcopus premissis domino imperatori inpendit, obsequia ante imperialis suscepcionem dyadematis, eidem ecclesie restituit^e eaque omnia et singula quo ad ius, quod eidem domino imperatori in ipsis quomodolibet competeabat, dimiserit sepedicte ecclesie liberaliter absoluta, nos ad devotam dicti episcopi supplicacionem et instanciam eidem restitutioni, sicut per ipsum dominum nostrum imperatorem rite et provide facta esse reperitur, consensum nostrum adhi-

a) C: 'Phylippo'. b) C: 'nostrum'. c) C: 'Nürnberg'.
d) So Kop. e) So Kop. für 'restituierit'.

1) Kopialbuch fol. XXIII'. Rubrum: 'Item approbacio domini Baldewini archiepiscopi Treverensis ecclesie super Herriden, Arenbour, Gredingen, Celle et advocaciam super monasterio in Plancsteten'.